LIBERTAS
LEGIBVS DETERMINATA AC CONFIRMATA
DELINEATVR

AD

ANNVAM

LEGVM
GYMNASII ELBINGENSIS

REPETITIONEM

D. XVII. SEPT. A. MDCCLXI

SOLEMNI RITV INSTITVENDAM

MAGNIFICOS ET AMPLISSIMOS

PATRIAE PATRES

VT ET RELIQVOS

CVIVSCVNQVE ORDINIS LOCI DIGNITATIS

MVSARVM FAVTORES

ET

PATRONOS

SVBMISSE OFFICIOSE AC PERAMANTER

INVITANTE

IOANNE LANGIO

GYMN. ELBING. RECT. PROF. PVBL. ET BIBL.



ELBINGAE

LITTERIS NOHRMANNIANIS.





Quae fulgentiſſima inter poli ſidera ſolis radiantis eſt facies, quaeque in locis ſubterraneis auri lectiſſimi conditio, ut quae modo cunque in coelo aſtra ac in regno minerali inveniuntur metalla, reliqua ſplendore, dignitate & pretio ſuo ſuperent omnia: eadem quoque libertatis non fucatae eſt natura, gravitate, utilitate ac fulgore ſuo hominum mentes ſenſusque adeo faſcinantis, ut illam, coelitus mundo conceſſam, praeſtantiſſimum utique bonum eſſe, facile ſibi perſuadeant. Aurea enim libertate quid quaeſo arridet magis, non Adami modo poſteris, ſana prædititis ratione, ſed reliquis etiam, dum vivunt, animantibus, eadem



destitutis. Galerita, blandisona illa veris nuncia, dum aëre utens libero, in sublime ascendit, extra oculi captum semet abditura, dulcissimas coelo miscet voces; & philomela, umbras virides, locaque tenens spatiosa, mille clangoris sui discrimina majori gracilitate felicioribusque refert flexibus, quam si cavea inclusa cantus sui suavitatem in stuporem hominum modulatur. Non ergo mirum, libertatis possessionem mortales inter tanti aestimari, ut teste Sallustio eandem nisi cum anima simul bonus amittere velit nemo. Inde in fertilissimis Gallorum terris, ut legere est apud Lansium, non modo jus illud honorificum quondam viguit, ut servi peregrini, quam primum Galliae limites intraverint, libertate fuerint donati; sed illa quoque in eodem regno invaluit olim consuetudo, ut aves, cavea hactenus inclusae, in Regum inauguratione liberae dimitterentur, ac si in Gallia, omni explosa servitute, civium libertas sub bono Principe floreret perfectissima.

Cum illud ergo aureae libertatis bonum adeo se commendet, ut omnium desideria, omniumque oculos & vota ad se trahat: eo vehementiori abripiuntur studio mortales, ut ad impedimenta illius non vera modo ac genuina, sed spuria quoque & falsa removenda, cunctos intendant lacertos. Cujus etiam farinae est, ut ille incautus saepe sui, stolidisque praejudiciis & affectibus turpissimis inescatus veluti homo ad legum normam suas componere actiones verbaque sua, idem fere statuat, ac servitutis jugo mancipii instar subditum esse. Hinc in licentiae, quam pro libertate falso reputat, transiens castra, in effrenata omnis generis vitia & peccata, libertatis specie palliatus, paulatim proruit deplorandus.

Ei

Ei enim libertas & lex non modo e diametro ſibi contraria eſſe videntur, ſed hanc illi obicem quoque ponere credit. Quodſi vero Jacobi verba c. I, 25. II, 12. in quibus de lege perfecta, quam libertatis vocat, Apoſtolus loquitur, paulo accuratius penſitamus, facile animadvertimus, legem libertatis chriſtianae promovendae non impedimenta & obſtacula, ſed calcar potius atque ſtimulum ſuppeditare. Vbi ſane maximus viguit libertatis uſus, quam in ſanctiſſimo ante protoplaſtorum lapſum integritatis ſtatu? Si vero in eodem certiſſima a deviis errorum & infelicitatum ſcopulis arcendi norma lex fuit atque voluntas DEI, quid faciendum, quidque omittendum ſit praecipiens: quanto minus corrupta penitus natura, ad omnia a tramite recti aberrationum genera proclivis, absque lege, tutiſſima temporalis pariter ac aeternae ſalutis amuſſi, conſiſtere poteſt.

Ad haec ea plerumque in eligendis actionibus mortalium eſt haeſitatio ac incertitudo, ut fluctuantes ſaepius ignorent, utrum in deliciis habeant. In uno enim eodemque actu alius affirmativam tuetur ſententiam, hanc vel illam rem utique eligendam, ſupremamque ei imponendam eſſe manum contendens: dum in contrariam partem prolapſus, eandem atro notare lapillo & ſusque deque habere, ſtatuit alius. Quod quotidie videre eſt in actionibus (ſi modo ejusmodi inveniuntur,) ſic dictis indifferentibus, quae ab aliis ſummis verborum lenociniis evectae commendantur; ab aliis vero vituperio notatae malignis perſtringuntur dicteriis. Quid quaeſo rebus ita ſe habentibus, faciliori & feliciori modo omnem animo evellere ſcrupulum, nosque de actionum

humanarum moralitate certos reddere poteſt, quam, quae integerrimam agendorum ac fugiendorum in apricum ponit cynoſuram, lex. Non quidem ſum neſcius, virtutem vel ipſa ſua natura bonam; vitium contra per ſe turpe eſſe. Accedente vero obligatione ſpeciali, legibus incluſa, bonum appetendi ac malum averſandi majus additur calcar, majus pondus. Inde facile conjecturatu eſt, legem, omnis boni monitorem ac moderatricem, actionum dignitatem, illis jam natura ſua inhaerentem, auctoritate Superiorum determinare, illarumque ſtatuere valorem. Sicuti ergo omnis laudanda faciendi & vituperanda fugiendi legibus determinatur immunitas: ita aurea etiam illa veraque ingenui hominis libertas iisdem inſimul confirmatur, ut majori animi parrheſia, majorique fiducia opus, quod in votis habet, aggrediatur ſuum. Obſtrepente itaque aliorum malevolentia, aut invidia mortalium actiones infeſtante, is, qui legum, rationi exacte reſpondentium, ſequitur filum, omnino tegitur libertate, libertate ſcilicet culpae ut & poenae, ita ut, quod Vates ille Venuſinus de conſcientia bona, idem illud de legum quoque cultura & amore dici poſſit:

Hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi, nulla paleſcere culpa.



Qui vero, dicis forſan, fieri poteſt, ut laudata modo libertas illi conſtet, qui lege, praecepti ac mandati naturam induente, addito inſimul & praemio & poena, ad hoc faciendum aliudque omittendum tenetur? Nonne, inquis, legibus praeſcri-

ptis

ptis omnis hominum tollitur libertas, ejusque voluntas, in ſummam quaſi adducta ſervitutem, operatur, non quod in deſideriis habet, ſed quod eam oportet? Aſt in errore verſaris, hac agitatus opinione: aequi enim & honeſti amans, cui interna virtutis arridet dignitas, non niſi bonas & ſanae rationi convenientes inſtituit actiones, etiamſi nullae adſunt leges, illas jubentes. Hinc gentium ille Apoſtolus quam apprime dixit, juſto nullam datam eſſe legem: quippe hominis libertas nullum lege praeſcripta ſentit detrimentum, quin potius quilibet, ſua ſponte recta & honeſta faciens, cum Jobo dicere poteſt: innocentiam meam tenebo, nec remittam; nec unquam, donec vivam, mihi mens erit irreligioſa. Imo ſi homo, omni libertate ſublata, non niſi vi legis adductus facienda faceret & omittenda omitteret, nullum ſane poenae, nullum amplius praemia haberent locum. Quae omnia evincunt utique, leges, in ſocietate quavis neceſſarias, libertatem actionum noſtrarum non modo non turbare, ſed eandem determinatam, temperatam & ad aequi bonique amuſſim compoſitam, potius confirmare.

Id quod ſi ex mortalium coetu incauta ſaepius juventus accuratiori animi lance penſitaret, duriſſimum legis jugum (ut illud temere ſaepe vocatur,) non excutere, ſed idem ſuaviſſimum potius in oculis, in conſpectu, in deſiderio ſemper habere ſtuderet, ne ſibi relicta mille errorum, vitiorum & damnorum praeceps incurreret anfractus. More hinc ac conſuetudine a Majoribus laudabiliter nobis tradito, leges Gymnaſii Elbingenſis in praeſentia MAGNIFICI ac AMPLISSIMI MAGISTRATVS ceu

earum

earum conditoris, universo Coetui scholastico quotannis publice praelegi solent, quo salubri hac praeceptorum norma a deviis pravae concupiscentiae maeandris etiam Seminarii patrii juvenes mature arceantur. Quae solemnitas dum crastina luce (quod DEVS bene vertat!) publica auctoritate iterum peragenda est: ILLVSTREM, MAGNIFICOS, GENEROSOS ET AMPLISSIMOS VRBIS PROCERES, DN. DN. BVRGGRABIVM REGIVM, PRAESIDEM, PRAECONSVLES, CONSVLES, MAECENATES ac NVTRITORES summo, ut decet, submissionis & observantiae cultu COLENDISSIMOS; VIROS item EXCELLENTISSIMOS, PLVR. REVERENDOS, CLARISSIMOS, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILES, PRAESTANTISSIMOSque MVSARVM FAVTORES ET AMICOS omni, quo fas est, reverentia officioque rogamus, oramus, obtestamur, ut anniversario huic *legum praelegendarum* ac *translocatae juventutis lustrandae actui* benevole interesse, & tyronibus bonae spei, bonaeque indolis, ductu VIRI PRAECLARISSIMI DOCTISSIMIque DOMINI IOANNIS DANIELIS HOFFMANNI, ATHEN. CONR. AC PROF. PVBL. MERITISSIMI HONORATISSIMIque *de Elbinga ex nummis antiquioribus illustrata* declamaturis, benignas praebere aures dignentur. Dab. Elbingae. D. XVI. Sept. MDCCLXI.

